



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

^{ANNO CHRISTI} 433 clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparsit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: *Quod in tempore concessum fuerat, vendidit populo, cleroque sparsit.* Hoc Sextus episcopus audiens, gaudio corroborabatur, & intimauit Augusto Valentiniano rem, quam gestam audierat. Respondit Leo diaconus, & dixit ad Sextum episcopum: *Iube occurrere Synodum per auctoritatis tuæ munimen, ut subueniatur domui, quæ supra aquam habuit fundatum, & accipiat contignationes & fundamenta lapidea, ut tui munimine pontificii non ruat dominus ædificata.*

CAP. XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurrerunt omnes episcopi. Et fecit Synodum, & seddit cum Augusto in eadem basilica Constantiniana. Et sedens cum episcopis, simulque & Augusto, cogitationibusque æstuabat Sextus episcopus, qualiter Polychronium releuaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: *No liæstuare, pater, quia meruit Polychronius sicut & vidua,* Luc. 21.
Marc. 12. *quæ misit aeris minuta duo in gazophylacium, vbi omnes abundanter miserunt. Illa enim nihil habebat, nisi tantum illa duo minuta.* Et respondit Dominus noster: *Et quid?* Dixit autem Sextus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hæc autem omnem vietum suum quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præsul qui imitatus est viduam, non viduetur. Tunc leuauerunt se omnes episcopi, & qui in eodem loco erant, præ gaudio litanias faciebant: plus enim ex gaudio plorabant omnes.

CAPV T XII.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatiſſimo Polychronio episcopo & coepiscopis Sextus episcopus vrbis Romæ & vniuersa Synodus clerusque omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen rui næ non patiar obliuisci. Iam redi ad vxorem, quam tentabas adulterare. Non viduetur enim vxor casta, nec vir prudens maculetur pecunia, aut scorti contagio: quin templum, quod deiecerat Euphemius, per te, Polychroni, ædificetur: Redi ad vxorem sine macula, & custodi dicta apostolica. Ora pro vrbe Roma. Actum est au-

Hic consu-
les referun-
tur ab om-
nibus in
annum D.
450. qui
fuit deci-
mus a Six-
ti morte.

tem Valentiniano septimo & Auieno consulibus. Dum introissent hi octo in Ierusalem, decimo Kalendas Aprilis, reuocauerunt Polychronium episcopum in urbem Ierusalem cum magno honore, & sedet in eadem annos septem & menses sex, & requieuit in pace.

ANNO
CHRISTI
433.

NOTA.

An hæc a-
& legitima
sunt.
Argumenta
pro parte
affirmante.

Rationes
pro parte
negante.

Sententia
auctoris.

² *Acta.*] Hæc acta synodalis expurgationis Polychronii Hierosolymitani episcopi Romæ coram Sexto pontifice habita, legitima & alicuius auctoritatis esse videntur, tum quod Nicolaus Romanus pontifex in epistola ad Michaelm imperatorem ea velut legitima citarit, tum quod scriptores nostri temporis eamdem post Petrum Damiani in epistola ad Henricum Rauennatem allegantes, de horum fide & auctoritate nihil haec tenus dubitauerint. Contra vero eadem spuria & illegitima esse, quiuis prudens asseruerit, si ad notam consularem, nomen accusati, alialve res apud acta descriptas, diligenter attendat. Si quod habent acta, hæc accusatio, & expurgatio contigit Valentiniano septimum & Auieno consulibus, certe non ad tempora Sixti, sed ad annum vndecimum Leonis papæ referenda forent. Temporibus Sixti vel Leonis pontificum, ab anno Domini 429. usque ad annum Christi 457. non modo non aliquis Polychronius Hierosolymitanæ sedis episcopum egit, (nam post Praylium Iuuenalis prædictis temporibus Hierosolymitanæ sedis episcopatum tenuit, & duobus oecumenicis Conciliis Ephesino & Calchedonensi interfuit) sed neque apud Nicephorum episcopum Constantinopolitanum, qui texuit catalogum episcoporum Hierosolymitanorum, neque apud Nicephorum Callistum, vel Euagrium, qui horum res in orientali ecclesia gestas prosecuti sunt, usquam vel leuis saltem Polychronii nominis mentio habetur. Tertio quæ hic leguntur de ciuitate Hierosolymorum hoc tempore obsefa, nullo modo subsistere possunt. Hæc sunt quæ actis antiquissimis pondus & auctoritatem imminuunt. Qua ratione hæ difficultates expediri queant, non video. Si quis eadem ad veritatis lumen aliquo modo reuocare possit, pergratum fecerit, si consilium & auxilium mihi communicauerit. Vide Baronium anno 433. numero 38. & 39.